

DE FALLACIARUM FACETIARUMQUE RATIONIBUS PLAUTINIS *

Neminem fugit, qui vel leviter comoedias Menandri, Plauti, Terentii cognoverit, paucissimis exceptis, cas a m o r u m e t e r r o r u m plenas esse. Sed amoris cum ea ratio sit ut facile appareat, quomodo ad suavitatem pertineat ludi comici propriam: iam minus in propatulo est, quid sibi velit in comoediis novis tanta erroris et fallaciarum frequentia, cum nulla prorsus fabula eius rei expers sit praeter unam Stichum Plautinam. Nam errorem ipsum per se nihil suave aut iucundum habere haud facile quisquam negabit. At sane ridiculus est error, ut sunt aliae multae res molestae, incommodae, vitiosae: ex vitio enim ridiculum oriri iam antiquitus intellectum est ¹, cum rursus magna pars eius suavitatis, quam in comoedia cognoscenda percipimus, in risu sit. Ac diligentius in hanc rem inquirenti intellegetur non simplici, sed multiplici vinculo ratio erroris et fallaciarum cum ridiculi natura coniuncta esse; tum autem et alia quaedam accedere, quae cum ex intima fallaciarum indole emanent, ipsa quoque ad animum spectatoris delectandum et exhilarandum multum conferant. Quod quo magis eluceat, age supersedeamus eis fabulis haud paucis, ubi f a t o fit error, cum aut hominum cognationes tempore obliteratae sint aut geminorum fratrum vel sororum nimia similitudine turbae eveniant aut aliud de-

* Verba facta kalendis Aprilibus anno MCMLXIII Aquis Sextiis apud philologorum ex Gallia conventum quae vocatur Societas Budacana.

¹ Aristot. poet. 5 p. 1449 a 32. W. SUESS, Das Problem des Komischen im Altertum, *Neue Jahrbücher für das klassische Altertum, Geschichte und deutsche Literatur* 23, 1920, 28-45.

nique deorum, non hominum voluntate intricatum sit; aciemque oculorum ad eas solas comoedias convertamus, quae numero etiam plures sunt, ubi c o n s u l t o parentur fraudes et fallaciae, velut seni aut lenoni per servum callidum, filii familiaris com-modis inservientem.

Haec si via ac ratione enucleare conamur, initium capere decet ab eis quae scripsit Henricus Bergson in libello utilissimo ac praestantissimo, quem de risu composuit². Qui cum ridiculi naturam definivit, etsi non totum eius rei ambitum complexus est, id quod nulli adhuc contigit, at certe magnam atque amplam partem acutissime perspexit. Ita autem pronuntiavit, ridiculum inde nasci, si quis homo variis rerum usibus et condicionibus in vita communi accommodare se nesciret, dummodo ne aut ipsi aut aliis magnum damnum ex rigore eius et tarditate accideret: quia iam apud veteres constitit³ ridiculum neque in miserabiles neque in facinerosos cadere. Cetera turba eorum, qui a consuetudine omnium sine noxa discrepant —sive id moribus fit sive loquendi genere sive corporis etiam natura vel habitu— r i - d e t u r. Quo genere personarum plenae sunt fabulae Aristophanis: nam ab hoc poeta, sicut in tota vetere Graccorum comoedia fuisse verisimile est, risus eis fere solis aut rebus aut personis aut actionibus captatur, quae ipsae e p e r s e ridiculae sunt: quod genus ridiculi c o m i c u m d i r e c t u m vocare mihi hic liceat.

Inter has Aristophaneas vel maxime notabilem duco personam s t u l t i; non quo ipsa nimis frequens sit (neque enim est, quamquam sunt lepidissima exempla, velut Strepsiadis rustici, Socratis in Nubibus discipuli), sed propter eius, ut ita dicam, postumam quandam progeniem. Nam ex persona stulti tamquam progenita vel derivata esse videtur persona eius, qui cum non minus vitiose quam stultus agat, at id non mentis aut rationis defectu facit, sed quia aliquid nescit quod spectatores sciunt: personam dico e r r a n t i s et maxime decepti vel frus-

² HENRI BERGSON, *Le Rire*, Paris, 1900.

³ Cicero De oratore II 237.

trati vel delusi, quae cum aliquotiens etiam ab Aristophane inducatur —velut lictor ille in Thesmophoriazosis, qui Euripidem muliebri veste tectum mulierem esse credit— postea demum, in media fortasse et certe in nova comoedia, in eum locum provecta est, ut maxima fere inde pars ridiculi pendeat. Ridendi materia eadem est quae fuit, neque spectatoris quicquam interest, utrum is, quem perverse agentem spectat, stultitia id faciat an veri inscientia —an denique utraque causa, id quod saepissime accidit in comoediis Plautinis. Iam prolato et confirmato hoc quasi novo genere ridiculi, quod genus *comicum non directum* vocaverim, ille tamquam thesaurus facetiarum, quo poetae comici utebantur, demum in immensum auctus est et prorsus infinitus esse coepit. Nam cum antea illis semper ea conquirenda excogitanda in scenam inducenda fuissent, quae ipsa per se ridicula essent, iam quaecumque a personis errantibus agerentur, etiam si qua summo serio fierent neque ullam risus materiam ipsa per se continerent, ridicula haberi coepta sunt.

Porro si forte reminisci libeat eius, quo paulo ante usus sum, exempli: in ea scena Aristophanea non solum ille lictor ridiculus est, qui de Euripidis sexu errat, sed aequae ridiculus ipse Euripides in muliebrum habitum transformatus. Nec dubium est, quin inter antiquissimas personas comicas haec sit: hominis habitu alieno exornati, qui 'travestitus' vocabulo egregie ficto recenti demum aetate vocari coeptus est. At rursus, quantum ad ridendi materiam attinet, non multum interest, utrum eiusmodi persona comica mutata veste ornataque incedat an mutata mente et animo. Quod si est, eadem sane manent fallaciae, quae iam non in rebus externis conspiciuntur, sed in verbis ac sententiis intelleguntur, et oritur persona *fallacis* vel simulatoris vel fraudulentis satis frequens in comoediis potissimum Plautinis. Nam, ut exemplo utar: cum idem servus, qui consiliis et amori filii familiaris obsecundat, iam consiliarium veteris domini se simulat et de moribus filii corrigendis cum sene consultat —nonne is servus videri potest tamquam alienam vestem induisse? Quin hoc etiam accidit, ut simulatis

et ornamentis et verbis aliquis ad fallacias perpetrandas procedat, ut Simia in Pseudolo, parasiti filia in Persa. Videntur ergo in his fallaciarum actionibus scaenicis, quae Plauto maxime in deliciis sunt, duae personae comicae antiquissimae non modo superstites esse, sed etiam obscuratis vel repressis aliis locum illustriorem et ampliorem occupavisse, ita tamen ut simul fallaciarum ratio tamquam in altius transferretur: stultus, qui in errantem transiit, et simulator, qui pro veste —vel praeter vestem— iam animum mutavit.

Haec si forte recte disputata sint, restat ut quaeramus, quibus *p r a e t e r e a* rationibus fallaciae ad suavitatem comoediae propriam pertineant: cuius suavitatis ridiculum illud comicum etsi pars magna, at pars est. Nam alia est pars in *d e r i d e n d o*, quod cum non longe absit ab eo, quem ante diximus, risu libero ac soluto ⁴, tamen sine dubio ex diversa animi condicione profiscitur et aliquid in se admixtum habet odii vel contemptus. Cui rursus finitimum vel potius coniunctum est malevolum illud gaudium, quod ex alterius damno vel incommodo percipitur, de quo iam Terentius in *Andria* ⁵ iure conquestus est. Sed ne diutius in his distinguendis morer, quod potius philosophi in animi naturam inquirentis officium est: dubium non est, quin in comoedia veterum, cui iam ab ipsa origine acre partium studium infuisse videtur, magna pars delectationis capiatur ex incommodis earum personarum, quas ingratas animo spectatoris ars poetae reddidit, velut senum, militum, lenonum. Ac maxime in exitu fabulae, cum fraudibus iam detectis, verbi gratia, senex deceptus iracundia exardescit vehementissima et tamen inutili —animi spectantium hoc affectu duplici pernoventur, ubi inest irrisio delusi cum gaudio ex eiusdem clade percepto.

At iam non duplex, sed multiplex is affectus dicendus est, qui oritur a persona simulatoris. Huic bene velle nos voluit poeta, nec frustra: nam favemus homini vafro, callido, versuto,

⁴ Quintilian. inst. VI 3, 7.

⁵ Terent. Andr. 625-628.

sive servus est sive parasitus, studiis commodisque filii familiaris uterque deditus. Simul admiramur eius in excogitandis fallaciis semper novis et interdum artificiosissimis acutum et versatile ingenium. Itaque quod in senum personis et harum similibus gaudium ex cladibus horum et incommodis nascebatur, idem capitur ex servorum et ceterorum triumphis, quantumque ibi irrisio ex contemptu erat, tantum hic hilaritatis ex admiratione.

Sed accedit aliud. Nam ea, quam dixi, irrisio et coniunctum ei malevolum ex alieno incommodo gaudium haudquaquam in personas odiosas solas cadit. Lupus est, aiunt, homo homini, nec solum, ut est in *Asinaria* ⁶, 'cum qualis sit, non novit', id est ignotus ignoto, sed saepe etiam notus noto. Nonne plerisque nostrum cum pudore fatendum est, se etiam amicorum res adversas aliquando maiore curiositate quam misericordia accepisse? Ita corrumpimur rerum novarum dulcedine, ita nobis etiam incolumitas nostra blanditur. Quod cum ita sit, non est mirandum, cur earundem personarum, quas sibi gratas habet, interdum etiam rebus adversis is qui spectat delectetur. Velut cum in fabula fraudis et insidiarum plena, verbi gratia in colloquio senis cum servo, prope eo ventum est, ut fallaciae patefiant, videntur tamquam duo animi in pectore spectatoris certare, quorum alter pro servo callido metuit, alter eiusdem casum exspectans praegestit: ut dicas quasi titillari animos eorum, qui ipsi tuti spectant, periculo alterius semper imminente semperque devitato. Nam hoc scilicet opus est neque unquam abest ab huiusmodi actionibus: ut eodem paene temporis puncto, quo hominem iam iamque lapsum derisuri eramus, idem se ex angustiis expediat nova strophæ, nova 'machina' vel 'techina', novo et maiore mendacio. Quod cum fit, ii quos diversos inter se affectus paulo ante designavimus, in contrarios vertunt: irrisio quæ futura erat in admirationem, gaudium malignum in pristinum favorem, denique ex metu in securitatem recreamur. Hoc genus tamquam desultorii ultro citroque motus

⁶ Plaut. *Asin.* 495.

vel cuiusdam oscillationis animi apud eos qui spectant cum praestigiis circulatorum aptissime videtur contulisse vir doctus et harum rerum praeceptus peritus, B. A. Taladoire⁷.

Verum ut iam paucis, quae dixi, complectar, videntur mihi delectationis quinque velut partes in fallaciis comicis inesse: primum quod ridiculum est in eo qui fallitur, alterum quod in eo qui fallit, tertium quod gaudium capitur ex clade decepti, quartum quod ex triumpho eius qui decepit, quinta illa affectuum celerrima vicissitudo, quam in ultimis describere conatus sum. Has quinque partes si totidem fides vel nervos vel chordas esse dicas, sollertissima eas alternatione percussit et totam hanc tanquam lyram pentachordon eximia arte tractavit Philemo comicus, si modo vera est coniectura, qua ad Phasma eius referunt Mostellariam Plauti, lepidissimam fabulam.

ANDREAS THIERFELDER.

⁷ B. A. TALADOIRE, *Essai sur le Comique de Plaute*, Monaco 1956, p. 212.